



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXV. Bertholphvs. XXXIX. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXV, BERTHOLPHVS, XXXIX ARCH.

Bertolphus ex Abbate Mediolacensi, Carolo Calvo plurimum favente, contra Waltonem Monachum à Ludovico Germanorum Rege obtrusum, eligitur, vir tanto honore & meliori tempore dignissimus: vixit namque in Ecclesiæ statu, Normannis latè omnia vastantibus. Ut proinde Sanctorum saltem pignora tutò quiescerent, subterraneis illa passim recondita locis, & sequentibus seculis diu ignorata latuère, donec reperta, cum multorum gaudio & salute in lucem denuo sunt eruta. Nec cautela in tempore fuit nimia; nam Godefridus Normannorum, & Sigefridus Dannorum Reges Coloniam, Treviros unaque urbes alias everterunt. In comuni eoque gravissimo rerum discrimine Virgines à S. Symphoriano nomen habentes, Trevis ad D. Modoaldi tumbam supplices impetrârunt, ut intra 30. dierum spatium omnes optata mors eripuerit, antequam civitas ipso Cænæ Dominicæ die sacro propemodum omnis solo est æquata. Miraculum accessit alterum, quo D. Paulini Basilica flammis ab hoste nequicquam petita fuit. Imò & ejusdem tumba in aere vacuo hæsit pendula in annos dein complures, post revulsas, quibus antequam tenebatur, catenas ferreas. Contigere hæc anno seculi IX. 83. qui fuit Bertholpho Archipræsuli inter vivos penultimus: annis igitur sedit 14.

LXVI RADBODVS, XL. ARCH.

Radbodus non minùs, quàm Antecessores varii ex Abbate Mediolacensi Trevirensium peridoneus esse judicatus fuit Ecclesiæ, cuius curam gessit laudatissimam difficillimo sanè tempore, quo Normannorum alii post alios impetum tentârunt, & Hugo Waldradæ ex Lothario filius Lotharingiam Carolo erpturus, Godefridum Ducem evocavit. Verùm victor Carolus Hugonem interceptum oculisque privatum Pruniensî Monasterio